



**BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC  
IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob  
flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti  
sunt:||**

**Isella, Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1588**

**VD16 I 344**

De Sacramentorvm frequentia. Capvt II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60044](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60044)

IVVANDOS MORIENTES. 7  
corum in exhortando sint apud alios  
efficaciora.

DE SACRAMENTORVM  
frequentia.

CAPVT II.

**S**i quis Fratrum in mortale peccatum lapsus sit, alacris sit & promptus, ut se mox per Confessionem purget: quod si omnino cauere non poterit, quo minus nonnunquam in peccatum ruat, Apostoli saltem consilium sequatur, qui monet, operam dandam esse, ne peccatum regnet in nobis: quod sanè tum in nobis regnare dicitur, cum tardi sumus & negligentes, ad illud per pœnitentiam obliteratedum. Eluere namque, & expurgare peccatum confessim debet quilibet; nisi enim id ab anima tollatur, mox suo pondere, inquit Gregorius, secum trahit aliud. Sed & Augustinus miratur, hominem non ausum dormire inter inimicos, qui corpus tantum possunt occidere: securè autem stertere inter peccata mortalia, quæ possunt animam in mortem æternam præcipitare. Nemo autem existimet sat temporis sibi ad confitendum superesse:

A 6 etenim,

Post peccatum  
mox confi-  
tendum,

Roman.6.

Gregorius.  
Augustinus.

## 8 INSTRVCTIO AD

etenim, vt infallibilis illa testatur Veritas, die qua non speramus, & die qua ignoramus, Dominus venturus est, rationem à seruis suis postulaturus. Sed & videmus quotidie nunc hos, nunc illos aut morte subitanea, aut diuersis accidentibus mori: quæ pericula vt euitemus, necesse est, vt vigilemus, & confessim peccata nostra confiteamur. Præterquam enim quod hoc modo reuertemur in gratiam, etiam per consequens opera bona, quæ faciemus, erunt Deo accepta, & æternæ vitæ meritoria. Sed etsi quidem sæpius confiteri sit utilius, vt minimum tamen sodalis semel in mense confiteatur, & communicet; deinde quoque singulis solennitatibus festisque anni principalioribus.

*Quoties con-  
fitendum.*

## DE ORATIONIBVS ET exercitijs spiritualibus.

### CAP. III.

**E**T si homo difficulter potest Deū laudare sine intermissione, sicut Sancti faciunt in cœlo, qui nunquam cessant à laudibus illius: neque potest semper & continuè orare, sicut monet Saluator; non tamen intermittere debemus,

*LUC. 18.*